



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

394. Quid si post citationem comparauerit excusator, vel etiam redierit ipse absens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

toris super tali impedimento. ut Menoch. *de arb.* c. 112. n. 19. Lott. n. 94. si autem talis relatio formalis haberi nequit, ex aliqua violentia poterit justificari ex minus iustis & informibus probationibus. Lott. *ibid.*

Quaestio 393. Quid si penitus ignoretur, ubinam gentium vel locorum degat absens, ita ut nequeat personaliter citari?

1. **R**espondeo: tunc debet citari tribus vicibus & expectari per sex menses, & non ante hos elapsos privari potest *c. ex tua.* & *ibid.* DD. praecipue Abb. n. 13. Lott. n. 95. citans Mantica. *decis.* 12. n. 2. & *Rotam.* Idem est, dum scitur quidem locus, sed is talis est, in quo non potest commode citari. Lott. n. 96. testans sic clarè censuisse Rotam apud Mantica. *loc. cit.* & esse ex mente Abb. *in c. quoniam freq.* n. 11. *ut lite non contestata.*

2. Circa hunc casum observandum primò, quòd antequam decernantur edicta, debet constare Episcopo non simpliciter de absentia, sed de tali absentia qualificata per summariam informationem, quam sumer à personis fide dignis extra judicialiter, nemine citato, juxta practicam, quam docuit Bart. *in Extrav. ad reprimendam.* v. *per edictum.* n. 6. Lott. l. 3. q. 27. n. 97.

3. Secundò, non minuendum hunc numerum ternorum edictorum, quasi unum solum cum peremptorio sufficeret pro tribus, ut censuit Oldra. *conf.* 196. n. 6. Canonibus enim exigunt trinam hanc citationem per edictum, non solum, ne praematurè procedatur; Verùm etiam, quia facilius potest pervenire ad noticiam absentis citatio, si ter fiat, quam si semel cum peremptorio; & quia ex hac multiplicatione inturgit major contemptus iudicis & major contumacia, ut Felin. *in c. quoniam freq.* n. 32. & Bellamer. *ibid.* n. 16. Lott. n. 99. Et ita regulare est, ubi agitur de incurfu poenae, nusquam unicam citationem sufficere pro tribus. & sic sentire omnes *in c. ex tua.* testatur Lott. n. 100. qui tamen addit n. 101. tolerari nihilominus posse sententiam Oldradi, si agatur de parochiali ob rationem particularem, de qua Hojed. p. 1. c. 18. nu. 24. Addit etiam Garc. *cit. p. 3. c. 2. n. 160.* in genere, ad procedendum contra absentes, praeter privationem non videri opus trina citatione per edictum, sed sufficere unam peremptoriam, quamvis trinam requiri etiam ad privationem fructuum dicat tenuisse Rotam.

4. Tertio dictum lapsus sex mensium debere computari post lapsum ultimi peremptorii. Lott. n. 102. citans Abb.

5. Observandum denique tanquam quid commune his quatuor casibus, nimirum non esse necessariam positivam pronunciationem super privatione, sed sufficere declaratoriam super vacatione ob non residentiam. Lott. nu. 103. citans Mantica. *decis.* 67. nu. 8. vel quòd beneficium conferatur tanquam vacans. Abb. *in c. inter quatuor.* num. 2. Butrio *in c. ex tua.* num. 9. apud Lott. *ibid.* cum in sententiis valeat argumentum à consequente ad necessarium antecedens, ut dicatur pronunciatum super consequens, dicatur etiam implicitè pronunciatum super tale antecedens.

Lott. n. 104. ex Mantica
loc. cit.

Quaestio 394. Quid si post requisitionem seu citationem comparuerit excusator, vel etiam redierit ipse absens?

1. **R**espondeo ad primùm: si comparuerit excusator, qui causas absentia, & iusti impedimenti proposuerit, nisi hæ causæ fuerint excusæ, processus & omnia erunt nulla. Bart. qui etiam tradit modum illud deducendi in praxin *in l. quaesitum.* n. 4. *de re iudicariar.* prout etiam *in l. 1. n. 4. c. de divers. tempor. praescript.* tradit; an & quando teneatur sic monitus excusatorem mittere, vide Lott. n. 106. & 107.

2. Respondeo ad secundum: si nemo comparuerit, sed ipse absens postmodum reversus duxerit, & probaverit impedimentum, quo tenebatur, validus quidem erit processus cum omnibus inde secutus Lott. l. 3. q. 27. n. 108. citans Jo. And. *in c. inter quatuor.* num. 2. sed ei subvenitur extraordinario remedio in integrum restitutionis, juxta text. *c. praesentium.* 7. q. 1. Lott. n. 109. citans Alex. de Nevo *in c. ult. de Cler. non resid.* n. 22. unde jam poterit iudicium per procuratorem promoveri coram Ordinario eodem, sive per viam nullitatis, si causæ propositi impedimenti non fuerint discussæ, juxta gl. ult. *in l. iudex.* ff. *de re iudic.* vel per viam restitutionis, si impedimentum non fuit propositum, possit tamen probari *l. praesenti.* ff. *de minor.* Lott. n. 110. & 111. Porro iusti impedimenti causæ reducuntur ad Magistratús imperium, tempestates, aut vim fluminis, ad valetudinem jurisconf. *ad l. 2. ff. si quis caution.* Lott. n. 112. Et quoad valetudinem standum est medicorum relationi, juxta *l. semel.* c. *de re milit.* quin etiam proprio juramento infirmi, si concurrat aliqua verisimilitudo ex vestigiis infirmitatis, v. g. si sit facie extenuata. Bart. *in l. quaesitum.* vide Lott. n. 113.

PARAGRAPHVS II.

De onere residendi aliorum beneficiorum non curatorum.

Quaestio 395. Quinam praeterea, & quo jure residere teneantur? ac imprimis quid sit hac in parte circa beneficia simplicia in genere?

1. **R**espondeo primò: spectatà juris communis dispositione, omne beneficium, quantumcunque simplex habet onus residendi. Lott. l. 3. q. 27. n. 8. dicens hanc esse communem omnium opinionem. Garc. p. 3. c. 2. n. 1. citans quamplurimos. Excipit tamen *ibid.* praetimoniam, seu praetimoniales portiones, quas dicit videri ex sua institutione nullum habere servitiū annexum, quam recitationem horarum, citat pro hoc Azor. l. 10. c. 4. *ad finem.* Navar. *de orat. miscell.* 48. alias 43. Puteum &c. contra Hojed. *de incomp.* c. 17. n. 25. Cur verò residentiam requirant de jure communi rationem vivam dari à Tholo. *de benef.* c. 7. nu. 1. & Covar. *var. resol.* l. 3. c. 13. num. 3. dicit Lott. *loc. cit.*

2. Re-